



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis discernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1658

VI. An gratia habitualis seu charitas augeri, vel minui, vel amitti possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38954

non requiri, vt illarum virtutum actus explicitè semper eliciantur, conceditur; non requiri, vt saltem virtualiter & implicitè, negatur: in actu enim perfectæ contritionis omnium illarum virtutum actus virtualiter & implicitè continentur; nam qui verè dolet Deum offendisse, eò quòd illum perfectè & summè diligit, is & virtualiter in Deum credit, & timet illum, si non timore seruili, certè reuerentiali & filiali, & sperat in eum, quem summè bonum agnoscit, & in posterum vult illi obsequi, & omnia præstare, quæ ipsi placita esse cognoscit.

SECTIO VI.

An gratia habitualis seu charitas auferri, vel minui, vel amitti possit.

Quod spectat ad primam quæstionis propositæ partem, dicendum est, gratiam habitualem seu charitatem posse in hac vita auferri. Ita S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 4. Id constat in primis ex scriptura: Prou. 4. *iustorum semita, quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectam diem: & Apoc. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.* Deinde ex Conc. Trid. sess. 6. c. 10. vbi dicit *Iustificatos in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescere atque magis iustificari.*

Est autem obseruandum, gratiæ habitualis seu charitatis augmentum non fieri ad instar aliarum virtutum acquiratarum, quæ quidem sicut per actus producantur, sic etiam per eosdem augentur & intenduntur; cum enim gratiæ seu charitatis habitus non producat per actus; sed à Deo infundatur, augmentum illius à solo Deo est tanquam à causâ efficiente, non verò ab actibus bonis hominis iustificati, nisi quatenus per illos ipsius gratiæ & charitatis augmentum promeretur, vt cap. seq. dicemus.

Quod spectat ad secundam quæstionis propositæ partem, dicendum est, gratiam habitualem seu charitatem minui

Non posse. Ita S. Thom. sup. art. 10. quod probat ex eo, quod si minueretur, hoc fieret vel per cessationem ab actibus ipsius charitatis, vel per aliquos actus ipsi contrarios, sicut fit in virtutibus acquisitis, quæ utroque illo modo minuuntur; quia conseruatio cuiusque rei dependet à sua causa, virtutis autem acquisita causa sunt ipsius actus; vnde illis cessantibus, vel alijs contrarijs aduenientibus, paulatim minuitur ipsius virtutis habitus, ac tandem totaliter corrumpitur. Hoc autem in gratia seu charitate locum non habet; cum enim charitatis habitus neque producatur, neque augeatur per actus, hinc fit, vt (præcisè loquendo) per actuum cessationem directè non minuat: neque etiam per actus contrarios seu per peccata; peccatum enim si mortale sit, non minuit, sed totaliter charitatis habitum corrumpit, vt mox dicetur: si autem veniale sit, habitum charitatis non minuit, si enim minueret vel effectiue, vel meritorie minueret; non effectiue, quia ipsi charitati non opponitur; neque etiam meritorie, qui enim delinquit in minori (vt ait S. Doctor) non meretur detrimentum in maiori, neque Deus se ab homine magis auerit, quam homo auerit se ab ipso. Quod quamuis verum sit, rectè tamen monet S. Doctor ibidem, à quo sensu dici posse per peccata venialia, vel per cessationem ab exercitio bonorum operum indirectè minui gratiam vel charitatem, in quantum minuitur feruor eius, & homo magis ac magis disponitur ad totalem ipsius corruptionem.

Quod denique ad tertiam quæstionis propositæ partem attinet, certum est gratiam posse amitti: idque constat tum ex scriptura, Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitiis suis, & fecerit iniquitatem, &c. omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* & experientiâ nimis funestâ compertum est, iustitiam & gratiam non solum posse amitti, sed etiam de facto fere ab omnibus amitti, ac paucissimos esse, imò pene nullos, qui gratiam in baptismo acceptam vsque in finem vitæ retineant, quique penitentia remedio non indigeant.